

X.

2.

DISSE^RTAT^O IN AVGVRALIS MEDICA
DE
**AÉRIS ACTIONE
IN CHYLVM.**

QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA
DIE XV. OCTOBR. C^IC^ICCCLXIII.
PRAESIDE
D. IO. PETRO EBERHARDO

MED. PROFESS. PVBL. ORDINARIO
ACAD. IMPER. NAT. CVRIOS. ET ELECT. MOGVNT. SCIENT. VTL.
SODALI SOCIETAT. TEVT. IENENS. MEMB. HONOR.
FACVLT. MED. H. T. DECANO.

PRO
G R A D V D O C T O R I S

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
LEGITIME IMPETRANDIS.

PVBLINE DISPVVTANDAM PROPO^NIT.

AVCTOR

F R I D E R I C V S S O H R B E C K .

ELMSHORNIO - HOLSATVS.

HALAE MAGDEBURGICAE, LITTERIS BEYERIANIS.

DISSESTITATIO IN VACARVIA MEDICÆ

DE

AERIIS ACTIIONE
IN CHYLIUM.

DIETRICH

IN REGIA FRIDERICIANA

ANNO 1710. OCTOBER. SEPTEMBER.

FRIDERICUS

DE PETRO BREHARDO

MEISTER ESSER FABR. ORNITHICO

AGD. BURG. ZAL. VEN. ET. MEL. MOD. GEM. ALB.

SEB. H. SOCIAT. VEN. MEL. MEL. BON.

IVCENT. IVDP. H. T. DUCADO.

FRIDERICUS

GRADU. DOCTORIS

SANCTO E. IN MELKIA MONASTERIO

THEATRI MEL. AED.

LEAVALE DISCERNAMUS PROSONIT.

ALB.

FRIDERICUS BORNERICUS

FRIDERICUS

LEAVALE MELDURGICUS. DISCERNAMUS PROSONIT.



V I R O
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
F R I D E R I C O S O H R B E C K
HONOR. DOCTORALIVM
C A N D I D A T O D I G N I S S I M O
HOSCE GRATVLATVR
I O . N . W E I S S E R . O P P .

Haec tenus vlla mihi non est obliterata facultas,
Qua potui mentem significare meam,
Mentem quam **T I B I** totam mi Carissime **S O H R B E C K !**
Obstrictam fateor per benefacta Tua.
Ait quae subnata est mihi nunc occasio pulcra,
Laurea cum cingat tempora digna **T V A !**
Laetantur Musae, laetantur quiuis amici,
Ipsaque laetatur tale Minerua decus.
Quod mea, quid mirum non noscant gaudia fines?
Est mihi prae cunctis haecce serena dies.
Gratulor atque iterum meritum **T I B I** grator honorem,
Fortunaeque genus compreco omne **T I B I**.
Sis semper felix aegrorum sisque iuuamen,
Deliriumque hominum deliriumque Dei.

VIRO
PRAENOBILISSIMO NEC NON DOCTISSIMO,
CANDIDATO
HONORVM DOCTORALIVM DIGNISSIMO,
AMICO SVO HONORATISSIMO,
S. D. P.
PETER INGWERS
HVSQ - HOLSATVS
M. C. OPPON.

Saepius perscrutantur maxima industria proprietates medicaminum quae rario-
ris plerumque usus; sed rarius fluidi illius subtilissimi effectus in quo versamur, quod
quouis momento inhalamus, rite ac sufficienter perquiruntur. Oeicv istud secun-
dum Hippocratem morborum, merito semper obiectum dignissimum clarissimorum ac
in apollinea arte peritissimorum, semperque eius inquisitio perquam frugifera erit ac
volupe. Mirum sane quod tam multi ab ulteriori effectuum huins substantiae ex-
ploratione abhorreant. An forsan limites praefissae physics ac matheos, prout
plurimi eas in sphaera doctrinae medicae sibi designare conseruiti sunt in causa? Laus
igitur in te redundat amice perquam colende atque honor haud exiguis,
qui ultra sphaeram hancce vulgarem, ac perscrutans aeris actionem in Chy-
lum, viam incedis, quam, praeter viros illustres quorum magna nomina in Dis-
sertatione tua a te allegata leguntur, clarissimi magnae Britanniae medici, Syden-
haam, Clifton, Winteringham, ac John Arbuthnot, soli fere, praegressi sunt.
TIBI itaque ex animo gratulor, et merito gratulor, per eruditam hancce TVAM dis-
sertationem, qua perexiham TVAM doctrinam et in Scientiis physicis satis superque
demonstrat. Gratulor insimil promeritam TIBI mox conferendam Doctoris digni-
tatem, et ex animo precor ut hancce status TVI mutationem continuo quorundam bo-
norum series consequatur. Serues denique mei memoriam, cui amicitia TVA sem-
per iuncundissima erit. Vale. Dabam in Fridericiana regia
d. XII. Octob. MDCCCLXIII.

ADIVM
DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
AËRIS ACTIONE
IN CHYLVUM.



I

nter res nonnaturales merito refertur aëris, quo carere non possumus, si vita et sanitas conseruari debeat. Remoto enim opere animalia pneumaticae aëre, animalia fere omnia si pisces, ranas et insecta excipias, cito pereunt. Postquam enim exclusus ex utero foetus semel respirare incepit, eiusque pulmones ab ineunte aëre externo expansi fuerent, et foramen ouale vna cum ductu Botalli coaluit; oportet ut expulsus e dextro ventriculo cordis per arteriam pulmonalem sanguis, non nisi per venas pulmonales redeat ad cor. Reditus hic fieri nequit, nisi expansis pulmonibus ab inspirato aëre, cuius actione in pulmones intercepta, turbatur transitus sanguinis per pulmones, et tandem sanguis moueri plane desinit. Sed praeter hanc sub respiratione contingentem actionem aëris, alio quoque modo tenuissimum hoc fluidum, in solidas et fluidas corporis nostri partes agere solet. Licet enim admodum tenuis sit aëris atmosphaericus, et videri adeo posset, tam subtili et inuisibili fluido, insignes effectus produci non posse, facile ramen animaduerteret, quiuis in naturali scientia non plane rudis et hospes, eo saepe maiores esse effectus, quo subtiliora sunt fluida. Quid ignis et lucis materia subtilius? Et quid vehementius est igne fulari, in focum quendam operi vitri conuxi l. speculi caustici coacto? Vehementissima scimus esse electrica fulgura, licet materia electrica aërem subtilitate ita supereret, ut per vitrum et du-

rissima metalla absque vlla difficultate transeat. Docet quoque experientia, gravitatem et elasticam aëris vim, vehementissimos et stupendos saepe producere effectus; vitra inde cum fragore disrumpuntur, globi cuprei exantato aëre comprimentur, similiaque ocurrunt multa, nemini in physicis ignota. Similiter animaduertimus, varia corpora ad dissolutionem et putredinem disposita, a libero accessu aëris corrumpi, aëre contra remoto, per longum sane tempus integra conseruari. Quid mirum proinde est, quod aër in nostro quoque corpore, eiusque partibus tam solidis quam fluidis, varias producat mutationes, et vario modo tam motum quam ipsam naturam fluidorum alteret. Inter ea fluida corporis nostri, quae varie ab aëre adficiuntur et alterantur, *chylum* quoque esse, nemo negabit, cui non ignotum est, hoc fluidum oriri ex assumptis alimentis et potulentis, quibus aër admixtus est, ita ut non solum in eorundem haereat poris, sed et non parum ad constitutionem alimentorum contribuat. Mihi itaque de conscribenda Inaugurali Dissertatione sollicito, non inutile videbatur argumentum, si de aëris in chylum actione pauca commenterer. Licit enim aëris actio in sanguinem, a Viris summis HOFFMANNO, BOERHAAVIO, HALESIO, BAGLIVIO, HAMBERGERO, aliisque plurimis, satis superque sit demonstrata; animaduerto tamen, vel plane nihil vel pauca saltē, de eiusdem in chylum actione adhuc fuisse proposta. Ita autem versabimur circa hanc tractationem, ut *primo* de aëris actione in corpora generatim disseramus, *deinde* chyli naturam explicemus, et *tertio* tandem ex his praemissis, actionem aëris in chylum demonstrabimus.

I. ACTIO AERIS IN CORPORA GENERATIM.

§. II.

Natura aëris.

Experientia nos docet, globum nostrum terraqueum circumdari fluido quodam *inuisibili*, sed *palpabili*, cuius motum et resistentiam sentimus non solum

lum

lum in peripheria corporis per neruos tactus, sed cuius tremores sub sono aribus quoque percipimus. Eadem experientia docet nos, hoc fluidum esse graue, ita quidem ut contingentes fere aqua specificē sit leuius, totum vero pondus eius aequilibrium seruer cum columna aquae 32 pedes rhenlandicos alta. Porro animaduertimus illud esse *elasicum*, ita ut a vi externa in minus spatium redigatur, et hac remota, sponte denuo se expandat. Et cum radii luminis absque insigni mutatione per aërem transeant, et colorata obiecta ut plurimum colore suo naturali exhibeant; patet fluidum hoc esse *pellucidum*. Tandem animaduertimus, omnia ea loca, quae vacua alias videntur, aëre impleri, nisi is vi quadam externa arceatur, quo minus intrare ea possit. Concludimus exinde, aërem esse fluidum inuisibile, palpabile, pellucidum, graue atque *elasicum*, omnia ea loca in globo nostro terraquo implens, quae vacua alias videntur.

Scholion 1. Demonstrationes harum aëris proprietatum vti in omnibus recentioribus Physices systematis occurruunt, vti hoc cuilibet notum est, qui scripta s' GRAVESANDI, NOLLETTI, STVRMII aliorumque, vel leui saltem brachio attigit, ita imprimis haec omnia demonstrata vides in Perillustri WOLFI Experimentis T. I. cap. 5. Breuius exposita inuenies in Illustr. Praesidis, Compendio Physico, Erste Gründe der Naturlehre dicto, p. 214. seq.

Scholion 2. Nominalem hic tantum exhibuimus aëris definitionem, ab externis petitam characteribus. Reales enim ex intima corporum natura, eorundemque fiendi modo desumptas definitiones condere, propter latentes ultimas caussas, difficillimum est. Videtur tamen vero quam maxime simile, ultimas aëris particulas se inuicem repellere *), vel propter electricam quandam vim insitam, vel alia ex caussa nobis adhuc incognita. Dari autem naturales quasdam repulsiones, docent magnetis poli inimici.

A 3

Scho-

*) Existimat equidem BOERHAAVIUS Elem. chym. T. I. p. 365. edit. Lips. se cohaesio-
neum aliquam animaduertisse partium aëris, sed eius quidem argumenta admodum sunt
dubia.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

Scholion 3. - Praeter generales has aëris qualitates, dantur et aliae, sed quae non statim in sensus incurruunt: adeoque ad definitionem nominalem non requiruntur. Sic videtur aër esse electricus, cum omnia corpora electrica ambeat, et eorum tamen electricae virtuti non noceat *). Colorem quoque aliquem coeruleum aëri inesse recentiores quidam Physici assumunt **). Vt alia omittamus huc non pertinentia.

§. III.

Actio aëris a grauitate eiusdem pendens.

Cum aër sit corpus fluidum graue (§. antec.), oportet ut omnia quoque phaenomena, quae alias in graubus fluidis animaduertere solemus, ostendat. Et 1) primo quidem qua graue fluidum *premit omnia corpora*, quibus circumfunditur, aequaliter omnibus parte. Premit adeo corpus quoque nostrum vi insigni. Si enim assumas pedem cubicum aquae, ponderare septuaginta libras. Superficiem vero corporis aequalem esse 9 pedibus quadratis, pressio aëris in superficiem corporis erit 15750 lib. circiter. Mirum hoc equidem iis videbitur, qui actiones corporum ex sensationibus, quas in nobis producunt diuidicare solent. Cum enim pondus aëris non sentiamus, vtique videtur imperitis, aërem quoque grauem esse non posse, vel saltem eum in corpus nostrum non grauitare. Sed recte iam monuit Antilae pneumaticae inuentor Otto de GYERIKE †) sensibilem vtique imo funestam reddi posse pressionem aëris externi, si e globo virreo aër educatur, illiusque epistomium exæste claudatur, et in os hominis receptum denuo aperiatur: et memini me de Physico quodam legere, qui in se ipso hoc maximo fio cum periculo expertus est. Tum sciimus grauitatem aëris externi equiponderari cum aëris interni elasticitate, adeoque tam diu sentiri non posse, quam diu aëris ingeni elasticitas non mutatur. 2) Deinde aër grauitate sua *irruit* ingenti vi, *in ea omnia loca*, quae

vel

*) Vid. HANOVII Physic. T. I. p. 735.

**) Illuftr. PRAESIDIS diss. de colore aëris, in Nouis Actis. Acad. N. C. T. II. App. p. 257.

†) Exper. de Vacuo p. 108.

vel *vacua* sunt, vel in quibus minor faltem deprehenditur resistentia. Haec causa est, quare aér pulmones sub respiratione subeat. Ampliatur enim per actionem muscularum intercostalium et diaphragmatis, thoracis cavitatis. Aér itaque in thorace contentus, se sponte expandit, hinc redditur specificie leuior, et aequilibrium adeo cum externo aëre feruare non potest, qui sponte propter grauitatem suam per tracheam illabitur. Idem accidit si conclavie calefactum aperiatur, ita ut externo aëri aditus pateat. Statim enim externus frigidus et densior, grauiorque aér, magna vi irrumpt, et ventum excitat. 3) Aér pondere proprio *ingreditur poros corporum*, si vel nullus in illis adsit aér, vel is faltem sit minus elasticus. Si aërem ope antliae pneumaticae ex aqua educas, eamque dein ibero aëri exponas, aqua citissime aëre denuo implebitur, ita ut post aliquot minuta denuo antliae commissa, bullas agat. Concurrit hic equidem cohaesio aëris cum aqua, ut infra demonstrabitur (§. V.), verum ipsa quoque grauitas non parum contribuit. 4) Cum aér corpora premar sua grauitate, omnis vero actio aequalis sit reactioni, corpora omnia *reagent* tantum *in aërem* quantum is corpora premit. Iam cum plerorumque corporum elementa elastica sint; oportet ut haec ab aëre externo graui aliquo modo comprimantur. Cum autem pondus aëris externi omni fere momento, propter mutationes continuas alteretur; et modo augeatur, modo imminuat; sequitur ut inde motus quidam in minimis corporum particulis oriatur oscillatorius, dum hae modo cedunt pressioni aëris, modo hac imminuta, se in pristinam figuram restituant.

Schol. Agnouit iam talem motum oscillatorium a pondere aëris in minimis partibus corporum productum BOERHAAVIVS *). Et cum in fibris corporis humani minimis, continuam leuiorem vibrationem adesse probabile sit, vti cl. ROGER. **) demonstrare conatus est, vero sane vide-

tur

*) Elem. Chem. T. 1. p. 370.

**) De perpetua fibrarum muscularium palpitatione.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

tur simile, hanc palpitationem seu vibrationem, ab ipso aëre producit. Quae tamdiu durare debet, quamdiu fibra mollis flexilis et calida est, cum rigiditas et maior partium cohaesio, motum vibratoriorum impedit. Et cum irritabilitatis causa cum hac perpetua palpitatione multum alat similitudinis, ipsa irritabilitas ex parte aëris actioni tribui poterit. Quod dignum sane est vñteriori disquisitione.

§. IV.

Action ab elasticitate aëris pendens.

Propter elasticam vim, aër comprimi potest, et se denuo in pristinam figuram restituit. (per princ. phys.). Pendet inde 1) vehemens pressio in alia corpora, si inclusus fuerit elasticus aër. Patet hoc in fonticulis salientibus a compresso aëre. Inclusus nempe et elasticus aër premit aquam, eandemque ingenti vi expellit. Idem animaduertimus in machina Papiniana, in qua elater aëris non a calore modo, sed et ab elasticis aquae vaporibus, quam maxime intenditur, et subiectam aquam vna cum corporibus in hac machina inclusis ingenti vi premit. 2) Si aëris inclusi elasticitas augeatur, expandit is corpora mollia aut elastica, quae eius pressioni cedere possunt, quae vero cedere nequeunt, sub vehementiori elasticitatis intensione disrumpit. Notissimum est experimentum vesicae in campana antliae suspensa, exhausto externo aëre se sponte expandentis. Similiter in corpore nostro vase, ab aucto aëris in sanguine latenter elatere expanduntur et turgida fiunt. Aucta aëris in ventriculo et intestinis contenti elastica vi, ventriculus et intestina a flatibus distenduntur, abdomen ipsum turget, et quis non nouit, quanta vi intestina in tympanite expandantur, morbo a retentis flatibus orto. 3) Dum aër contentus intra minimas corporis particulas se expandit, separat elementa corporum, efficit ut magis a se inuicem recedant, et cohaesione eorundem adeo minuit, ut mollia deinde evadant. Optime hoc animaduertimus in solutione salium. Adhaeret eorundem poris aqua, et propter adhaesionem eodem modo eorundem porulos ingreditur,

quo

quo ascendere solet in tubis capillaribus. Comprimitur inde in salibus conten-
tus aér; iam cum a compressione eius augeatur elasticitas (per princ. phys.):
se expandit, separat a se inuicem salinas particulas, et tandem sub forma bul-
lularum erumpit. Ad quas bullulas vtrplurimum adhaerere animaduertimus
particulas salinas, quas secum eleuant. *). Concludimus inde aërem haud pa-
rum conferre ad solutionem corporum.

§. V.

Adhaesio aëris.

Lex vniuersalis est Physicorum: *Omnia fluida cohaerent magis cum
corporibus specifice grauioribus quam inter se.* Aér est specifice leuior
quam aqua, metalla, ligna et pléraque corpora quae in globo terraquo
visui nostro se offerunt: hinc oportet vt adhaereat hisce corporibus. Hoc vti
a priori potest demonstrari, ita a posteriori quoque per experientiam euincitur.
Si enim metallum, lapidem aliaque dura et valde exiguis interstitiis praedi-
ta corpora, in vase aqua pleno mergas, et externum aërem ope antliae pneumaticae
exhaustias, continuo videbis ex omni parte metalli surgere bullulas aëreas.
Hae ex ipso metallo exire nequeunt. Pori enim metallici aëri non sunt peruii.
Et qui intra metalla continetur aér, non nisi sub eorundem solutione se manife-
stat. Necesse itaque est, vt is aér qui copiose sub forma bullularum ascendir,
externe adhaereat metallo. Adeoque patet, aërem externe quoque cohaerere
cum corporibus specifice leuioribus. Pendet ab hac aëris adhaesione 1) *ingres-
sus* aëris in poros corporum, per quos penetrare potest. Poros metalli pene-
trari non posse ab aëre, docemur per experimenta cum antlia pneumatica in-
stituta; metalla itaque hoc modo aér ingredi nequit. Sed, aquam, lignum,
suberem, chartam, lac, vinum ac vini spiritum, similiaque plura corpora fa-
cillime subit. Fit hic ingressus dupli modo. a) Primo vti supra §. III. ex-

B

po-

*). In ipsis metallorum solutionibus hoc fieri animaduertit cl. LOMONOSOW Nov. Com-
ment. Acad. Scient. Petropol. T. 1. Clasf. Phys. N. 7.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

posuimus, propter grauitatem aëris, dum proprio pondere in vacua ab aëre interstitia ea vi irruit, qua a mercurii columna 28 pollices alta premeretur (§. II.). b) Deinde dum pori inter se connexi, veluti capillaria efficiunt vascula, adhaerendo, in his poris ascendit eodem modo quo aqua fugitur a tubulis capillaribus. Dum nempe oppositis, in margine poruli sitis moleculis adhaeret, oritur inde motus compositus. In omni vero motu composito corpus percurrit diagonalem parallelogrammi cuius latera sunt vires.*). Si itaque assumas, vires quibus aërea particula a solidi corporis moleculis trahuntur, esse latera parallelogrammi, erit diagonalis directio ea quae particulam intra porum compellit. Docent hoc innumera aërometriae experimenta. Si enim ope antliae omnem ex aqua vel frigida vel calida educas aërem, et exhaustam hanc aquam libero aéri exponas, citissime is per poros aquae ita penetrabit ut post quadrantem horae aqua sub campanam antliae posita, insignis denuo prodeat aëris copia. Cognoscimus inde aërem cito ingressum fuisse poros aquae, eamque totam expleuisse. Idem pani accidit, fructibus horaeis, farinae cum aqua subiectae aliquique corporibus. 2) Porro ab hac cohaesione cum corporibus specificie grauioribus, pendet, *mutatio aëris in solidas corporum partes.* Quamuis enim si accurate loqui velimus, aër mutari in suis elementis nequeat, ita arcte tamen cohaeret cum reliquis elementis corporum, ut merito a recentioribus Physicis, inter partes corporum constitutivas numeretur.**). Dum enim sub destillatione, putredine, vel per soluentia menstrua, corpora destruuntur, copiosus prodit aër, qui in poris et interstitiis latere haud potuit, quia tum pori talium corporum exigui nimis sunt, quam ut aërem recipere possint, vel si magni satis fuerint, ope antliae aër omnis educi non potest sed is tantum

qui

*) Vid. celeb. **PRAESIDIS** Erste Gründe der Naturlehre p. 51.**) Vid. **BOERHAAVII** Chemiam T. I. p. 363, cuius verba haec sunt: *bic aër cum omni corporum genere noto concrefit, siue ad componenda concreta elementi instar configatur.* et **HALESIVS** copiosissimus experimentis in sua *statica vegetabilium* Cap. VI, idem demonstrat; imo p. 178. edit. vern. hunc sit Protheum, (ita aërem vocat), qui modo fixus est modo volatilis, merito principiis chemicis esse adnumerandum.

qui poros replet. Adeoque praeter hunc alias adhuc inter elementa corporum haesit. Dubio hic occurrentum est. Diximus supra §. II. partes aëris repulsionem quadam in se inuicem agere, forte propter electricam suam indolem. Iam existimare aliquis posset, impossibile esse, ut haec ab inuicem fugientia aëris elementa, cum aliorum corporum elementis possint cohaerere. Huic dubio summus NEWTONVS occurrere iam conatus est, tribuendo particulis aëris et repulsionem et attractionem *), et vtramque hanc, cum quantis algebraicis negatiuis et positiviis comparando. Verum cum non omnibus arrideat haec quantorum algebraicorum, cum veris naturae viribus comparatio, alio modo hoc explicare liceat. Grauitas nempe, seu si mavis, adhaesio et attractio, omni in vniuersum materiae videretur competere, repulsio vero non item. Haec videtur pendere vel ab imminutis punctis contactus, et imminuta adeo cohaesione, vel ab intercedente peregrina quadam materia, vti repulsio electrica et magnetica hoc innuere videntur. Fieri itaque potest, vt quae a quibusdam fugient corpuscula, ea cum aliis, vel aliter figuratis corpusculis, vel propter aliam materiam intercedentem cohaereant. Et patet adeo aëris minimas moleculas se inuicem repellentes, cum aliis corporibus posse cohaerere.

§. VI.

An aër agat peculiari et incognita adhuc vi?

Dari adhuc in aëre peculiarem aliquam et inextricabilem nobis qualitatem non pauci Physicorum contendunt. Ipse BOERHAAVIVS **) adfirmat, *eße in aëre virtutem quandam absconditam, quae ex iis proprietatibus illius, quae hactenus in aëre exploratae sunt, non potest intelligi.* Variasque huius rei probationes exhibet. Scilicet aërem esse necessarium ad conseruandam vi-

B 2

tam

*) Vid. NEWTONI Optice Quæst.

**) Talem virtutem occultam, ignem et quidni vitam ipsam conseruandi, seu pabulum vitae et ignis supponit quoque NIEVENTYT in der Welt beschouing, lect. 42, et haud pauci Anglorum atque Batavorum idem annuere videntur. Vid. MVSCHENBROECKII Physica cap. 36.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

tam tam animalium quam vegetabilium. Requiri liberi aëris accessum ad conservandam flammarum, ad excludenda ouula quorundam insectorum, quae si aëris accessum arceas, licet calore foueantur, non maturescunt. Semina plantarum, rite macerata, optimae commissa terrae, atque requisito excitata calore non tamen crescere, neque dare vila vitae actusae signa, similiaque plura ab aëre pendere. Nobis non videtur alia in aëre adesse vis, cum e dictis experimentis demonstrari eius praesentia nequeat. Quod enim ad vitam necessario requiratur aër, id manifesto pendet a respiratione, et producto inde transitu sanguinis per pulmones. Ad ignis vero sustentationem, sola grauitas aëris requiritur, neque adesse peculiare ignis pabulum in aëre, demonstratum dedit celeb. PRAESES l. c. §. 329. Non negamus tamen varia produci posse phaenomena ab aethere aëri admixto, quae nos aëri adscribimus, et quae vtrique ex eius grauitate, adhaesione et elasticitate deduci nequeunt. Vti enim datur fluidum aliquod subtilissimum per totum orbem dispersum, quod aetherem dicimus, ita hoc fluidum in aëre quoque copiose haerere admodum est probabile.

§. VII.

Accidentales aëris actiones a calore & frigore.

Vti omnia nobis cognita corpora, frigoris et caloris sunt capacia, ita aërem his mutationibus quoque obnoxium esse experientia docet. Cum enim aëris particulae ultimae, admodum sint elasticæ, poterunt in tremorem utique conficiari, ita vt ignem elementarem impellant, et caloris adeo in nervis nostris excitent sensum. Eodem modo et frigoris materia in aëre copiose haerere videatur, cum per ventum transire ad alia loca soleat *). Communicatur itaque calor et frigus per aërem, cum aliis corporibus, et corpus quoque nostrum variè inde afficitur. Calidus enim aër nonsolum minus refrigerat sanguinem,

adeo-

*) Frigus nempe oritur, tum per imminutionem caloris, tum per actionem peculiaris materiae in nitro et reliquis neutris salibus copiose contentae. Vid. MVSCHENBROECKIUS Phys. c. 26.

adeoque auctiorem reddit eius calorem, quae negativa eius actio est, sed et post si valde calidus sit, communicare nobis potest calorem. Producitur inde orgasmus sanguinis, eius nimia resolutio, sordium euolutio adeoque acrimonia. Praeterea si humidus simul sit, relaxat cutim, debilem reddit, adfluxum humorum ad peripheriam determinat, et perspirationem adeo auget sanctioram. Vario inde modo mutatur sanguis, dum modo fluidior redditur, modo aucta nimis perspiratione, spissior. A frigido aere contra, sanguis inspissatur, fibrae constringuntur, perspiratio imminuitur *), licet et augeri possit a frigore, si nempe sufficientes caloris in sanguine caussae non desint, et spasmus non adsit periphericus.

§. VIII.

Actio aëris propter admixta ei corpuscula.

Aërem verum esse chaos, rete iam summus pronunciauit BOERHAAVIUS **). Adsunt enim infiniti vapores inflammabiles, salini volatiles, aquei, aliquie, a combustione, exhalatione, transpiratione animalium atque vegetabilium, a putredine, fermentatione, aliisque infinitis modis orti. Cum maxime volatiles particulae in aërem transeant, tales vero summa gaudeant actiuitate; patet particulas has quietas in aere esse non posse, sed varia inde oriri debere phænomena. Docet quoque experientia, fulgura inde oriri, stellas cadentes, ignes lambentes, pluuiam, ventos, similiaque. Actiuae tales in aere contentae partes, agere quoque debent, in alia corpora quae atmosphaera ambit. Mirum proinde non est, quod corpora libero aëri exposita, tam varie ab eodem mutentur ac alterentur. Ferrum, cuprumque ab aere soluuntur, et in rubiginem et viride aeris fatiscent. Quoad maximam partem haec aëris actiuitas ab acido quodam sale in eo hospitante dependere videtur. Quod sal modo vitriolicum esse, modo nitrosum, modo salis communis autumarunt

B 3

Che-

*) BOERHAAVII Institut. Med. §. 747.

**) CHEMIA T. I. p. 389.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

Chemici, alii quod vero vtique videtur similius, vniuersale sal, h. e. tale esse existimarent, quod et vitriolicam et nitrosam et salis communis naturam induere possit. Iam cum salia fortissime cum durissimis quoque corporibus cohaerant, in eorum interstitia penetrant, eorumque solutionem producant, sal illud aëreum idem praefare debet. Propter eandem caussam, peregrina nempe corpuscula in aëre latitantia, motus quoque intestini varii, fermentatio et putredo in solidis aequa ac fluidis corporibus possunt excitari.

§. IX.

Idem argumentum continuatur.

Pertinent ad haec in aëre contenta corpuscula, acres quoque fumi metalli, arsenicales atque sulphurei, corpori quam maxime noxii. Hi non solum cutem irritant et in sensibilioribus partibus, vti oculis, naribus, trachea, pulmonibus, spasmum et conuulsionem excitare valent, vnde sternutatio, tussis, asthma et subita suffocatio oriri possunt: sed et per poros resorbentes et per saliuam ad massam sanguinis delati, acrimoniam ei inducere valent. Continentur præterea in aëre non semina tantum vegetabilium, sed et insectorum, vnde fit vt venti ope ad dissitas saepe partes ferantur. Notatu sane dignum exemplum huius rei, BOERHAAVIUS *) affert. Frustum is coepit carnis in alcohol ebuliente detentum aliquamdiu, dein oleo terebinthinae lucido inunctum, id suspendit tenui longoque filo, in aëre humido tepidoque, in loco vbi nullum animalculum putabatur adesse. Paullo tamen post haec caro scatēbat acaris vivis exedentibus quidquid supererat succulenti in hac carne. Alcohol et oleo Terebinthinae, destructa sane fuere insectorum in carne forte praesentia ouula, adeoque cum insecta non nisi ex ouulo nascantur, vti hoc inter omnes recentiores Physiscos constat, oportet vt ouula insectorum per aërem sint aduecta. In *Relatione de Nigritarum regione* p. 86. narratur, ibidem pluuias a Maio ad Decembrem copiose et magnis guttulis decidere, tam malignas vt et cutēm arrodant

*) Chem. T. I. p. 412.

arrodant atque exulcerent, et vestibus exceptae, vermes tineasque producant ¹⁾. Quis non videt hanc acrimoniam et malignitatem pluviae, adscribendam esse acrioribus et causticis corpusculis in aere volitantibus, et cum guttulis pluviae dependentibus. Vermes vero et tineae, non nisi ex ouulis in aere haerentibus deduci possunt.

II. CHYLI NATVRA.

§. X.

Chyli natura generatim.

Si homo sanus diutius a cibo ei potu abstinuerit, sensatio quaedam in ventriculo oritur ingrata, cibi desiderium inferens, quam *famem* adpellamus, vt et alia in faucibus et oesophago, cum desiderio potus coniuncta, quam *situm* dicimus. Cogimus per hunc adipetitum, ad assumptiōnēm cibi potusque. Experientia docet, post longam famem macilentes reddi homines, adeoque nutritionem esse imminutam, cum contra pingueſtant qui copioſe cibum potumque capiunt, si nempe temperamentum et aliae conſpirent circumſtantiae. Oportet itaque vt ab assumptiōnēs culentis et potulentis, nutritio perficiatur. Iam cum ossa, caro, et reliquae fibrae corporis humani, diuersae sint indolis cum assumto cibo potuque; necesse est vt assumta in corpore humano ita mutentur et alterentur, vt partibus nostri corporis fiant homogenea. Et cum ore assumta, in ventriculum et intestina deferantur, inde vero ad sanguinem nulla pateat via, niſi per tenuissimos canales, quae ſolida corpora non transmittunt, ſed fluidis tantum ſunt peruia, necesse est vt assumta omnia in fluidum corpus mutentur, et hoc modo ad sanguinem tranſeant. Lactiforme hoc fluidum, in ventriculo et intestinis ex assumptiōnēs culentis et potulentis elaboratum, *chylum* dicimus, cuius natura generatim hic nobis est determinanda. Omnia assumta culentia, ſunt vel vegetabilia, vti panis, fructus horaei, olera, legumina, ſimiliaque, vel animalia, vti carnes, gelatinæ ossium, ſimiliaque. Iam vero

chemica

¹⁾ Vid. Act. Erud. Lips. Suppl. T. 1. p. 425.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

chemica analysis docet, tam vegetabilia quam animalia constare e terra, aqua, oleo, et sale tam fixo quam volatili, oportet iraque ut ex his praeparatus chylus, generatim ex iisdem constet partibus. Et cum potulenta vel sunt aqua simplex, vel ex eo compositi et vel per coctionem vel per fermentationem aliquo modo parati humores, vii sunt, infusa theae, Coffée, cereuilia, vinum, lac, similiaque quae insigne continent copiam aquae, sal ut plurimum acidum, vii in cereuilia, vino, lacte, aliisque, oleum praeterea et paucam terram; patet et exinde paratum e potulentis et esculentis chylum, simili gaudere natura. Color chyli albus est, sapor subdulcis. Talis vero color e combinatione olei cum aqua, sapor dulcis autem ex acido sale cum pingui gelatina remixto oritur (per princ. chem.): et cum fluiditas ab aqua pendeat: concludimus exinde quoque, chylum constare ex aqua, oleo, sale et terra.

§. XI.

Requisita ad chyli praeparationem.

Cum chylus fluidus esse debeat (§. antec.), cibi autem solidi sint, imo ex parte valde duri, necesse est ut hi in fluidum mutentur. Fieri hoc potest duplici modo, 1) nempe eae partes ciborum quae propter duritatem vel tenacitatem suam digeri nequeunt, vii sunt omnes fibrae carneae et ossae, pelliculae vegetabilium *), conteri et ita mutari debent, ut qui in cellulosa eorumdem tela adestr succus facilius exprimi possit. 2) Quae vero dissolui possunt molliora, panis in primis biscoctus, pultes, similiaque ita mutari debent, ut solida sua natura plane amissa, in fluidi naturam transfeant. Ad utrumque requiritur, ut cohaesio partium solidarum minuatur. Fluidum enim e solido oritur, partium solidarum cohaesione ita immunita, ut vel plane non vel parum faltem cohaereant. Cum chylus sit fluidum peculiaris indolis, ex oleo, sale, terra et aqua constans, et hae partes si peculiare fluidum constitueret debeat, in-

ter

*^o) Vid. BOERHAAVE Praelect. in prop. Instit. T. I. p. 322. Ut et vernacula editio Instit. Boerhaav. ab Illustri PRAESIDE edita. p. 194.

ter se iunctae esse debeant, patet ad chyli praeparationem singularem requiri partium inter se coniunctionem. Illucescit exinde, duo potissimum esse requisita ad chyli praeparationem necessaria, 1) partium a se inuicem separationem, et assumtorum adeo *dissolutionem*, et 2) nouam dissolutarum particularum *coniunctionem*. Dum itaque chyli historia nobis iam est enarranda, *primo* quomodo assumtorum dissolutio fiat est disquirendum, *secundo* explicanda est coniunctio noua particularum.

§. XII.

Dissolutio assumtorum per vim externam mechanicam.

I. Dupli modo animaduertimus *dissolutionem* ciborum perfici, tam per *vim externam*, quam per motum *intestinum*. Ad *vim externam* pertinet 1) *actio mechanica* oris ventriculi et intestinorum, 2) *maceratio* ab adhaerente fluido. Quod 1) actionem *mechanicam* attinet, haec a) perficitur in *ore*, per *morsum* et *manductionem*. Sub morsu a dentibus incisoris, nonnunquam etiam maxillaribus, partes solidorum ciborum ita a se inuicem separantur, ut dein commodius bolus talis in ore moueri, hac illac iactari et dentium vi subigi possit. Sub manductione continuatur haec partium separatio, ope dentium molarium, linguae, buccarum. Bolus nempe in ore contentus, et a saliuæ admixtione mollior redditus, conteritur a dentibus molaribus, premitur, et hac illac mouetur ope linguae, imo ab ipsis buccarum musculis. Hoc modo cohaesio partium imminuitur, et crassiores partes a se inuicem separantur. Manducati cibi ope linguae detruduntur ad fauces et oesophagum, et deglutiti ad ventriculum deferuntur. b) Iam in *ventriculo* nouae adsunt externae causæ *solutionem* ciborum perficientes a) *ventriculus* enim *musculos* gaudet *fibris* longitudinalibus atque orbicularibus, hae fibrae etiam vacuo ventriculo se constringentes, motum efficiunt continuum peristalticum; qui augetur ab assumptionis cibis. Assumta enim premunt ventriculi latera, hinc agunt in ventriculum. Iam cum actio sit aequalis reactioni, ventriculus reagere debet in con-

C tenta.

tenta. Porro a cibis assumtis leniter irritantur fibrae ventriculi musculofae, hinc se fortius constringunt, cibos premunt, et quaquauersum pellendo cohaesione particularum minuunt. β) Deinde in ventriculo continuo adest aer, huic accedit ille aer qui sub solutione ciborum liberatur. Practerea calor adest insignis. Aer vero a calore expanditur, et cum hic haereat in loco clauso premit subiectos cibos, et pressione hac solutionem eorundem adiuuat. Licit enim ventriculus non considerari poshit instar machinae Papiniana, neque tam exalte et fortiter clausus sit, tamen aliquo modo comparari cum eadem potest, lenior enim illa inclusi aeris pressio, leuorem quoque producit effectum. Et cum in Papiniano lebete durissima quoque ossa reddantur mollia, et in gelatinam fasscant, hic molles et macerati iam ex parte cibi magis mollescunt. γ) Accedit hic pressio ab adiacentibus ventriculo partibus, diaphragmate inprimis et omnibus musculis abdominalibus. Sub inspiratione enim semper descendit diaphragma, quod fortissimus musculus est, et subiacentem ventriculum, vna cum cibis contentis ingenti vi premit. Sub exspiratione contrahuntur musculi abdominales et totum abdomen, hinc et ventriculum premunt. δ) Numerantur a BOERHAAVIO *) inter caussas externas, iuctus quoque arteriarum ventriculi, sub quarum diastole contenta licet leniter premuntur. Verum haec vis tam exigua est ut ad digestionem parum vel nihil conferre videatur. ε) Transit in ventriculo praeparatus chymus, seu pulpacea haec ex assumtis praeparata massa, ad duodenum et ad reliqua intestina. In his eadem adsunt mechanicae externae caussae, quae in ventriculo. Gaudent enim intestina fibris musculosis longitudinalibus ac orbicularibus, hinc motu peristaltico (per princ. Physiolog.), adeoque eodem modo agunt in contenta vti ventriculus. Porro in intestinis quoque aer adest calidus, adest pressio partium adiacentium, quae omnia premendo molles cibos eorundem solutionem perficiunt. θ) Sed novam denuo pressionem externam subit chylus, ad eiusdem vteriorem elaboratio-

*) Praelect, in Inst. Med. T. I. p. 305.

rationem non parum contribuentem, sub transitu per *vasa lactea* et cisternam lumbarem ad sanguinem. Vasa haec lactea oriuntur a villis tunicae villosae, qui capillaria sunt vasa aperto osculo in intestina hiantia, et in mesenterio transiunt per glandulas congregatas, usque dum in maius receptaculum membranaceum seu cisternam lumbarem colligantur. Iam mesenterium est corpus molle, pressioni partium adiacentium, praecipue diaphragmatis et musculorum abdominalium expositum. Patet hinc α) chylum hic eodem modo premi ac subigi quo in ventriculo ac intestinis, in primis autem in cisterna lumbari ab incubente proxime diaphragmate vehementer premitur. β) Sed et *glandulae mesentericae* agunt in chylum. Hae enim cinguntur elastica externa tunica, quae se contrahens premit contenta, adeoque ad ulteriore dissolutiōnem aliquid confert. γ) Neque improbatum est, ipsa vasa lactea motu aliquali gaudere constrictorio, hinc dissolutioni partium chyli aliquo modo inservire.

§. XIII.

Maceratio assumentorū.

Si solidum corpus ab adhaerente et in interstitia eius penetrante fluido, molle fiat, tunc *macerari* dicitur. Cum itaque in ore, ventriculo et intestinis, assumenta a fluidis tum deglutitis, tum a sanguine secretis, mollia reddantur, oportet ut assumenta macerentur. Fit hoc in ore a saliu. Haec enim quoad maximam partem aqua constat et maxime volatili lymphā, hinc penetrare per interstitia ciborum facilissime potest. Dum itaque ope dentium et linguae, solida adassumpta conteruntur, saliu ingreditur eorundem poros, cohaesione partium minuit et cibos reddit molles. b) In ventriculo adest ipsa saliu degluttita, potulenta assumpta, et liquor gastricus in minimis ventriculi arteriolis secretus. Haec fluida eo magis in assumenta et in ventriculo contenta solida agere possunt, quo diutius in ventriculo cibi commorantur, et quo magis iam in ore sunt emolliiti, unde fit ut deinde facilius et pluribus in punctis se cum fluidis contingant, et fortius ab iisdem penetrantur. c) Accedit his in *intestinis*,

liquor pancreaticus, qui cum eiusdem fere cum saliuia sit indolis, eodem modo in assumenta ager, vna cum lympha hepatica, seu *bile* fluidiori, continuo per ductum cholidochum ex hepatate in duodenum influente. d) Tandem in *glandulis mesaraicis* subtilior lympha fecernitur, quae chylo admixta, eundem diluit, et firmius adeo cohaerentes minores eius moleculas reddit molles.

§. XIII.

Motus assumtorum intestinus.

Vidimus iam, quaenam vires externae, assumtorum dissolutioni faneant, considerandus iam est eorundem *motus intestinus*. Hic dependet vel ab ipsa assumtorum *dispositione interna*, vel a *fluidis corporis nostri*, cum assumentis *remixtis*. Quod *primum* attinet, fere omnia assumenta dispositionem quandam habent, vel ad *fermentationem*, vel ad *putredinem*. Panis, et omnia farinacea, fructus horaei, similiaque natura sua inclinant ad fermentationem; carnes vero animalium, oua aliaque ad putredinem magis disposita sunt. Iam cum ad fermentationem vel putredinem, praeter dispositionem internam, docente Chemia, calor blandus et humiditas requiratur; vtrumque vero in ventriculo et intestinis adsit, patet motum intestinum fermentatorium et putredinosum in ventriculo et intestinis oriri debere. Sub statu naturali vtrumque non perficitur plane, in ventriculo et intestinis tenuibus, neque enim manifesta sunt vtriusque motus intestini in chylo signa. Verum in intestinis crassis reliquiae ciborum in manifestam abeunt putredinem, et ructus acidi eorum, quibus ventriculus debilis est, demonstrant fermentationem in ventriculo esse factam, indeque acidum sal euolutum. Putredinem nempe impedit, saliuæ, liquoris gastrici et pancreatici admixtio, fermentationi vero bilis admixta aduersatur. Quod ad *alterum* attinet, eum nempe motum intestinum, qui ab admixtis corporis humani fluidis dependet, scimus, saliuam esse fluidum fermentescibile, et syrupis, farinae, aliisque corporibus fermentescibilibus remixtam, fer-

men-

mentationem in illis producere. Liquor gastricus et pancreaticus eiusdem fere sunt cum sanguine indolis. Oportet itaque ut ab admixta sanguine, liquore gastrico et pancreatico in assumptis motus oriatur fermentarius. Bilis vero natura sua ad putredinem magis est disposita, propter copiosas partes oleosas et salinas alcalescentes. Quamvis enim bilis dici non possit alcalina, negiri tamen nequit, contentum in ea sal, magis ad alcalescentiam esse proclive. Et itaque in cibis assumptis iam aliqua adsit ad putredinem dispositio, ea ab admixta bile ad actum magis deduci debet, indeque incipiens putredo oriri. Vtque vero motus intestinus, tam fermentarius quam putredinosus, tollit cohaesione partium, corpora solida mollia reddit, et dissolutionem partium chylid eo adiuuat.

Schol. Putredinem a bile admixta in chylo oriri, docent manifesta putredinis signa in excrementis, quae quoad maximam partem a bile oriuntur. Sub ictero enim ubi bilis chylo vel parcus vel plane non admisetur, non modo flauus excremenrorum color non adest, verum et foetor deest et signa putredinis nulla sunt.

§. XV.

Partium chyli combinatio.

II. Consideratis iis caussis quae dissolutionem assumtorum producunt, iam nos conuertimus ad eas chylificationi inservientes caussas, quae dissolutarum partium *combinationem* et *coniunctionem* efficiunt. Combinantur autem partes dissolutae dupli potissimum modo, vel 1) per motum et *pressionem externam*, vel 2) per *admixta fluida saponiformia*, 1) *Prius* sit tum per motum ventriculi et intestinalium peristalticum, tum per pressionem diaphragmatis et muscularum abdominalium. Fieri autem posse nouam combinationem partium chyli a pressione et motu continuo, docemur ex praeparatione emulsionum. In emulsione enim oleosa vegetabilium pars cum aqua combinatur, solius triturationis et conquaßationis ope, unde olei particulae tantopere resoluuntur, ut in

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

interstitiis aquae haerere possint. Iam chylus constat pingui succo e cellulis fibrarum tam vegetabilium quam animalium expresso (§. X.): adeoque ope continuae pressionis et motitationis, oleosa quoque chyli pars cum aqua potest combinari. 2) Magis autem hanc coniunctionem perficiunt *fluida* chylo admixta. Et hic quidem merito *saliua* est consideranda. Haec dum ex sale et oleo constat, habet aliquid saponiformis*). Sapo autem resolut oleum, et eius cum aqua cohaesionem ita auget, ut remisceri cum ea commode possit. Hanc combinationem in ore reuera fieri docet color albicans masticatorum. Cum vero eiusdem fere naturae cum saliuia sint *liquor gastricus* et *pancreaticus*, sequitur utnaec cohaesio partium, ab eorum quoque cum chylo remixtione producatur. Longe potentius vero hanc combinationem perficit *bilis*, quae propter copiosas oleosas atque salinas partes, maiori quoque gaudet vi saponiformi. Fit inde ut post bilis cum chylo in duodeno remixtione, albus emergat eius color.

III. ACTIO AERIS IN CHYLVUM.

§. XVI.

Actio aëris in chylum demonstratur.

Aëris in chylum non leuem esse actionem, facile potest demonstrari, si modo consideremus, 1) Aërem non solum corpus nostrum externe ita ambire, vt fere nullum adsit punctum corporis, quod ab aëre non contingatur. 2) Sed Aërem quoque haerere in omnibus cavitatibus corporis nostri, quae ab aliis fluidis non occupantur, in pulmonum cellulis, in abdominis cavitate, in ventriculo et intestinis. 3) Aërem porro adesse in omnibus fluidis corporis nostri, in sanguine, saliuia, bile cet. 4) Imo aëris ingentem quantitatem inesse tam esculentis quam potulentis, docente id antlia pneumatica. 5) Vasa corporis nostri esse

*) BOERHAAVII Inst. Med. §. 66.

esse mollia, adeoque comprimi et vario modo affici posse a graui et elastico aere. Patet enim inde, aerem qui continuo agit gravitate, elasticitate, adhaesione, ut et propter accidentales suas proprietates, et peregrina corpuscula admixta: (§. III- VIII.) et vasa contingit per quae chylus mouetur, et in quibus elaboratur; agere quoque in illum debere. Cum autem aer portissimum agat gravitate, elasticitate et adhaesione sua, actio harum virium in chylum primo erit consideranda, deinde vero, quid accidentales aeris proprietates et peregrina in eo contenta corpuscula efficiant demonstrandum.

§. XVII.

Aer gravitate sua chyli praeparationem adiuuat.

Aer est grauis (§. III.) et premit adeo ingenti pondere corpus nostrum (§. cit.): agit adeo gravitate sua in vasa corporis nostri, adeoque et in chylum. Hic 1) primo considerabimus quid gravitas aeris conferat ad chyli praeparationem, 2) deinde quid ad eius motum contribuat, et tandem 3) quales mutationes, post eiusdem cum sanguine remixionem, inde oriuntur: Quod primum attinet, aeris gravitatem, ad chylificationem non parum conferre ita probamus. Ad chylificationem requiritur pressio externa, per quam particulae cohaerentes nonsolum magis resoluantur (§. XII.), sed et oleosae partes cum aqueis remisceantur et cohaereant (§. XV.): Iam externus aer gravitate sua premit assunda in ventriculo et intestinis, et numerari adeo debet inter vires pressionem in chylum exercentes. Sequitur ergo ut aer quoque ad chylificationem aliquid conferat. Obiici quidem posset, aerem externum grauem cum interno elastico aequilibrium seruare (§. III.), adeoque agere in ventriculum et intestina non posse. Et verum quoque est aerem tamdiu agere gravitate sua in chylum non posse, quamdiu aequilibrium adest, sed hoc sublato, agere necessario debet. Tollitur autem aeris aequilibrium a) sub *respiratione*. Descendente enim diaphragmate, ascendente sterno et costis, tollitur aequilibrium

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

um aëris, et aër externus ingente vi irruit in pulmones (§. III. n. 2.), adeoque in pulmones agit. Iam vero diaphragma proxime subiacet pulmonibus, eosque contingit: agere itaque aër quoque pondere suo debet in diaphragma. Hoc vero sub inspiratione premit ventriculum (§. XII. γ). Hinc et *ventriculus sentit actionem a pondere aëris externi oriundam.* β) Aëris grauitas specifica continuo mutatur (§. III. n. 4.): adeoque eius aequilibrium cum aëre intra cauitatem abdominis et in vasis chyliferis continuo tollitur. Hoc sublato aër in has partes grauitate sua agit. Adeoque et ex hac parte *agit grauitate sua in chylum.* Licit enim continua illa mutatio grauitatis, admodum sit exigua, tamen est sensibilis, id quod barometra in primis Hugeniana abunde docent.

§. XVIII.

Aër grauitate sua motum chyli promouet.

Chylus in intestinis tenuibus praeparatus, resorbetur per oscula villorum tunicae villosae (§. XII.), vasä lactea ingreditur, in iisque usque ad cisternam lumbarem mouetur, indeque perpendiculariter ascendit per ductum thoracicum. Variae hic ad motum chyli promouendum concurrunt caussae, in primis pressio a motu peristaltico continua, succio vasorum lacteorum, ob continuum chyli adhaesionem, valvulae regressum impeditentes, vis contractilis vasorum lacteorum, et in primis pressio diaphragmatis descendenter, et grauitas aëris *). Aëris vero grauitatem non parum ad motum hunc chyli conferre, sequenti modo demonstramus. Primo motus diaphragmatis, comprimendo abdomen et premendo mesenterium, premit quoque vasä lactea, haec valvulis instrueta sunt, ita quidem, ut quae versus intestina positae sunt, regressum impedian, eae vero quae glandulas mesentericas et cisternam lumbarem respiciunt, transitum chylo antrorsum permittrant (per Physiol.). Iam presso tali canali, premitur fluidum contentum aquabiliter antrorsum atque retrorsum.

*) Vid. Dn. PRAESIDIS Conspect. Med. Theor. P. I. p. 142.

Si itaque retrosum cedere nequeat, antrosum mouebitur. Adeoque pressio talis, fluidi motum antrosum promouet. Iam aer sub inspiratione agit in dia-phragma, eiusque descensum auget, (§. antec.): hinc aer quoque *promonet progressum chyli in vasis lacteis*, a diafragmatis descensi productum. Idem valet quoque de ascensi chyli in ductu thoracico. Transit hic ductus per dia-phragmatis interstitium *), et valuulis instructus est ascensum permittentibus, descensum impedientibus. Comprimitur itaque contractis fibris dia-phragmatis, eo descendente, premiturque adeo chylus sursum atque deorsum. Et cum deorsum propter valuulas ferri nequeat, sursum eleuatur. Deinde, aer quoque immediate grauitate sua motum chyli adiuuat, id quod a nemine adhuc quantum ego quidem noui obseruatum, primus docuit celeberrimus P R A E S E S **). Si enim inter duas valuulas A et B interceptus chylus, ob pressionem diafragmatis, anteriorem valuulam A superauerit, oritur necessario inter utramque valuulam vacuum Guerickianum. Antea enim intercepta inter A et B portio vasculi lactei, chylo repleta erat, hic iam per valuulam A expellitur. Totum vero spatium exakte clausum est, in peripheria per membranas vasorum lacteorum aer non peruias, in anteriori parte A et posteriori B, per chylum ipsum, adiacentes veluti cameras vasis lactei replentes. Cum itaque aer vindique arceatur, oriri necessario debet vacuum, eodem modo quo oritur in summitate tubi Torricelliani. Iam vero aer premit vindiquaque grauitate sua chylum. Qui adeo cedere debet huic pressioni, versus eam partem ubi minor est resistentia. Pressus chylus per anteriorem valuulam A regredi nequit, neque enim hoc permittit valuulae structura. Per posteriorem vero valuulam B pressioni cedentem, magna vi in spatium A B propelli deberet, cum in eo nulla plane adsit resistentia. Eodem modo in physicis experimentis docemur aquam insigni vi, etiam contra grauitatem pri-

D

*) HEISTERI Comp. Anat. p. 119. Edit. Norimb.

**) Confsp. Med. Theoret. P. I. p. 142.

priam propelli in spatia ab aëre vacua *). Mirum proinde videri non deber, rarissime oriri obstrunctiones vasorum lacteorum , licet tam exigua sint, cum tanta vi, qualis est atmosphaerae pressio chylus per ea moueatur. *Tertio* tandem ad motum chyli in ductu thoracico potissimum promoueundum, non parum conferre videtur expansio pulmonum ab irruente sub inspiratione aëre, vnde in posteriori thoracis parte situs hic ductus, comprimi debet. Iam cum expansio pulmonum fiat a grauitate aëris (§. III.), patet et hoc modo motum chyli a grauitate aëris iuuari.

§. XVIII.

Aër grauitate sua agit in chylum sanguini admixtum.

Chylus per vasla lactea, cisternam lumbarem, et ductum Pecquettianum, tandem abit ad venam tuberculatam sinistram, ibique sanguini remiscetur. Haec vena terminatur in venam cauam quae dextrae cordis auriculae inseritur. Chylus itaque sanguini admixtus, statim abit ad dextrum cor, indeque per arteriam pulmonalem ad pulmones adeoque sub respiratione ea omnia patitur ab aëre pulmones ingrediente, quae sanguis in pulmonibus contentus. Aër in pulmones irruens, expandit cellulas pulmonales grauitate sua, hinc premit latera vasorum sanguiferorum. Talis vero pressio tum promouet motum fluidi contenti, tum lamellas minimas e quibus particulae fluidorum constant, magis ad se inuicem adducit, tum cohaerentes inuicem globulos separat. Idem chylo accidit sanguini admixto. *Motus eius*, vna cum M. S. *promouetur*. Et cum crassities lamellarum determinata, eius colorem album producat **), rubri vero radii a crassioribus lamellis reflectantur, pater quod aër grauitate sua lamellas chyli ad se inuicem premens, successive rubrum quoque colorem, concurrentibus reliquis cauiss ei inducat, adeoque *sanguificationis* cauissa sit. Et dum tandem globulos cohaerentes separat, perfectius eosdem cum sanguine remiscetur, et ex hac quoque parte sanguificationi inferuit.

§. XX.

*) Vid. Perillustris w o l f i i Elementa Math. Tom. II. p. 462.

**) Vid. Conspect. Med. Theor. T. I. p. 69.

§. XX.

Aer elasticitate sua agit in chylum.

Ventriculus et intestina plena sunt aere elastico. Is a calore expansus, premit assumenta (§. IV.), qui vero in poris assumentorum haeret, tum ab intrantibus humoribus cibis admixtis, sub maceratione, tum a calore expanditur, separantur inde cohaerentes assumentorum partes (§. cit.), et sic chymi et chyli praeparatio ope elasticitatis aeris promouetur. Imo motus assumentorum intestinorum, uti manifesto a sallum et olei in se inuicem actione pendent, ita non parum ab elasticitate aeris promouetur. Salinis enim et oleosis particulis in se inuicem agentibus, liberantur, inter elementa corporum haerentes aeris partes quibus pristinae libertati restitutis, et se expandentibus motus oriri debet et propulsio partium. Videmus hoc manifesto in fermentatione et efferuentia, ubi vel successiva, vel simul et semel aer liberatur et bullularum ac spumae forma erumpit. Cum ad praeparationem chyli, assumentorum necessario requiratur dissolutio, haec vero quoad maximam partem per motum intestinum perficiatur (§. XIII.), qui potissimum ab aere pendet: patet quantum aer propter elasticitatem suam ad chylificationem conferat. Videtur quidem non paucis Physicis, aerem inter elementa corporum haerentem non amplius esse elasticum, adeoque separatis a se inuicem elementis, expandere se non posse, neque separationem partium augere. Sed ad haec facilis est responsio. Aeris nempe ultimae particulae vi repellente gaudent (§. XVIII. Schol. 2.), adeoque elasticum efficiunt fluidum. Si iam vnicam concipiatis aeris particulam inter duo elementa corporis haerentem, cuius repulsio minor est cohaesione elementorum corporis, haec utique quiescat, neque vila dabit repulsionis signa, usque dum alia accedens caussa cohaesionem elementorum minuat. Tollitur tunc aequilibrium, et repulsio aeris praeualeret, quae saepe magna vi elementa a se inuicem remouet.

Schol. In aqua latere materiam crepitantem, docent Physici. Si enim aquae guttulam capillari vitro tubo exceptam, flammam admouetas, dif-

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

plosiones oriuntur partium aquae, et veluti fulgura. Si candens ferrum aquae immittas, fragor oritur et strepitus, ab eadem materia cum impetu liberata. Vero autem videtur admodum simile, hanc materiam, nihil aliud esse quam aëris elementa, violento modo particulas corporis dispellentia. Pendet inde quoque vaporum ab aqua ascendentium maxima elasticitas, quae maior est quam elasticitas aëris atmosphaericci, quia nempe partes aëris atmosphaericci, non tam propinque ad se inuicem accedunt, quam haec aëris elementa, quae corporis minimas particulas fere contingere videntur.

§. XXI.

Aërio aëris frigidi et calidi in chylum.

Aër agit in corpora frigore et calore suo (§. VII.): aget igitur et in chylum propter accidentales hasce suas qualitates. Disponendum nunc est quales inde in chylo orientur mutationes. Quod *frigus* attinet, scimus aërem atmosphaericum fere semper esse frigidorem sanguine nostro. Receptus itaque ope inspirationis intra pulmones aër, refrigerat internam pulmonum superficiem, adeoque et vasa sanguifera in eadem haerentia. Sanguis inde refrigeratur, adeoque et chylus sanguini ad pulmones accedenti remixtus. Frigus minuit externum corporum volumen, ea contrahit in angustius spatum et specificie reddit grauiores (per princ. Phys.): oportet itaque ut chyli quoque minime moleculae, sanguini admixtae, *specifice fiant grauiores densiores ac minores*. Dum globuli chylosi in minus spatum rediguntur, oportet ut et hoc modo eius lamellae magis ad se inuicem accedant. Hinc et refrigerium a frigidiori aëre in pulmonibus, aliquid confert ad sanguificationem. *Calor* aëris, vario modo chylum potest afficere, nonsolum enim in ventriculo et intestinis calor ad chylificationem plurimum confert (§. XII.), sed et chylus sanguini admixtus, a calore aëris eodem modo resolui et acrior reddi potest, quo id de sanguine notum est.

§. XXII.

Aëri admixta peregrina corpora agunt in chylum.

Aër quoque agit in chylum propter varia peregrina corpuscula eidem admixta.

admixta. In aëre nempe adeſt principium ſaliniū, metalla iſpa arrodenſ (§. VIII.), hoc vna cum aëre tam in affumtiſ praefente, quam eo qui ſub manducaſione in ore iis admifcetur, ad chylum tranſire debet. Et cum iſpum hoc ſaliniū principium, ad motum iſteſtinum inprimis fermentationem non parum confeſrat, motus quoque in affumtiſ iſteſtinuſ ad preeparationem chyli neceſſariuſ (§. XIV.), inde produci debet. Niſi itaque aër chylo admiſceretur, illumque contingeret, iſteſtinuſ in eo motuſ vel plane produci non poſſet, vel tarde admodum perſiceretur. Patet itaque aërem propter admixtuſ hoc ſaliniū principiuſ, agere in chyluſ. Quo plus itaque hu- ius ſalini principii aëri ineſt, eo maiori in chylo oriſi debet motuſ iſteſtinuſ, co- que etiam magis reſoluitur reddituque fluidior.

§. XXIII.

Idem argumntum continuatur.

In aëre adſunt acres fumi metallici, ſulphurei, arſenicales, corporis pe- ripheriaſ ſaepe acrimonia ſua irritanteſ (§. IX.). Vapores hi ſub inspiratione vna cum aëre os intrant, ſaliuæ et contentiſ ſub manducaſione in ore cibiſ admiſcentur. Oportet itaque ut et acrioſe hae partea in chylum tranſeant, eundemque acrem reddant. Acres hae fordeſ fluida corporiſ noſtri reſol- vunt. Debet itaque ab iisdem chyluſ quoque reſoluſ, et pro ſordiuſ qua- li- tate, ad putredinem diſponi. Porro in aëre volitant iſeſtorum ouula (§. cit.), Pater itaque et haec chylo admiſceri. Haec ouula dupli-cem praefant effectum, vel enim excluduntur ope calidi aëriſ in ventri-culo et iſteſtinis, indeque varia producuntur iſeſta, vel ſi non excludantur, corrum-putn-tur, et cum plerum- que ad alcalinam inclinent acrimoniam, chylo eandem inducunt.

§. XXIV.

Morbi ab aëris actione in chylum produceti.

Demonſtrata iam actione aëriſ in chyluſ, oportet ut pauciſ quoque morboſ luſtre- muſ, ab hac iſpa actione oriundoſ. Et 1) quidem patet, quod cum reſolutio affumtorum in ventri-culo et iſteſtinis, quoad maximam partem ab

D 3

actione

actione aëris pendeat, haec resolutio maxime imminuatur, actione aëris in chylum impedita. Iam cum aër in chylum agat grauitate atque elasticitate sua, oportet ut eiusdem actio in chylum minuatur, imminuta eius grauitate et elasticitate. Fit hoc, si aër sit nimis tenuis, inde enim eius specifica gravitas minuitur, et si vaporibus in primis sulphureis scateat, ab his enim eius elasticitas plane fere destruitur, docente HALESIO. Si vero chylus non sufficienter resoluitur, et crudior manet ac spissior, primo inde oriuntur obstrunctiones in vasis lacteis et glandulis mesaraicis. Deinde si spissior chylus et crudior ad sanguinem transeat, oritur inde spissitudo sanguinis, adeoque obstruktiones viscerum, indeque pendentes variae febres et chronicī morbi. Porro ab eodem crudo chylo, oriuntur cruditates in M. S. adeoque eius dyscrasia, a qua cachexia, scorbutus, et febres intermitentes variae, ut et exanthemata scabiosæ, aliaque originem ducunt. Tertio si ita spissus fuerit chylus ut vasorum lacteorum oscula subire plane nequeat, oritur obstrucción tubolorum tunicae villosae, vnde transitus noui chyli ad sanguinem intercipitur, et tabes oritur. Si vero 2) actio aëris resolutoria in chylum nimia sit, chylus redditur nimis fluidus, motus intestinus chyli nimis augetur, indeque si sit fermentatorius, euolvit acidum sal, si vero magis putridus sal alcalinum oritur. Vtrumque acerum reddit chylum, qui dum sanguini hanc inducit acrimoniam, eum ad varia exanthemata et acutos adeo morbos disponit, purpuram nempe, petechiantes et petechiales febres, similesque morbos. 3) Acres tandem fordes cum chylo rerunxæ (§. antec.), eandem quoque acrimoniam sanguini communicant, et acutorum putridorum morborum generationi fauent. Diu iam obseruarunt Médici, pestem ab acrimonia vaporum putrescentis aquae in regionibus calidioribus oriri posse. Et quotidiana quoque docet experientia, febres putridas, petechiales, castrenses, oriri in castris ad loca puludosa aestiu tempore positis. Imo si epidemice grassatae fuerint febres petechiales, insectorum in aere volitantium, in primis cantharidum, insignem adfuisse copiam animaduenterunt Practici. 4) Tandem cum in aëre quoque hospitans seminium ver-

mino-

minosum chylum inquiet, indeque insecta excludi in ventriculo et intestinis possint (§. antec.); patet *vermes* quoque ab aëris actione in chylum produci. Et vero quoque videtur simile ascarides, lumbricosque ex ouulis tam ope aëris cum chylo remixtis, quam in cibo potuque iam praesentibus oriri.

§. XXV.

Regulae diaeteticae.

Cum a vaporibus sulphureis, et aliis vappidis, elasticitas aëris minuatur, indeque chyli elaboratio impediatur (§. antec.), oportet ut *eo tempore quo cibum capimus, aërem potissimum fugiamus, vappidis aut sulphureis vaporibus refertum*. Porro cum acres metallici et arsenicales vapores, ut et ouula insectorum, ex aëre in chylum transcaunt, sequitur ut et his *metallicis vaporibus inquinata loca* eo tempore quo cibum assumimus, *vitemus*. Ea itaque conculnia sunt eligenda, quae puro serenoque aëri patent. Cibum itaque capere in conculni in quo dormimus, vel in loco aegris referto insalubre est. Talia enim loca scatent acribus et vappidis putridisque exhalationibus. Patet et ea conculnia eo tempore esse vitanda, in quibus operationes variae chemicae et metallurgicae perficiuntur, in quo argentum ope ignis inauratur, in quibus salia, et sulphura destillationi subiiciuntur; in quibus humores variii dissoluti putrescant vel fermentationem subeunt; hinc neque in cellis vino et cereuisia fermentante repletis.

§. XXVI.

Conclusio tractationis.

Demonstratum nunc est aërem, ad chyli naturalem constitutio-
nem et præparationem non parum conferre, imo chylificationem ab aëris
actione vario modo laedi et alterari. Possem pathologiam hanc tractationem
fusis adhuc explicare, et remedia demonstrare, quorum ope actio haec aëris
in chylum morbos varios inducens, evitari queat, sed angusti limites huius
tractationis Inauguralis, hoc non permittunt. Vela itaque iam sunt contra-
henda, id tantum adhuc monemus, optandum esse, ut et ad hanc aëris in chy-
lum actionem, in curatione morborum, magis respiciant Medici
Practici.

T AN TV M.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
S. P. D.
PRAESES.

Cum iam in eo sis, PRAESTANTISSIME DOMINE CANDIDATE! ut finem imponas vitae TVAE Academicae, et promeritos honores sumnos in Medicina accipias, non possum utique TE discedentem ex hac nostra Musarum sede dimittere, absque aliqua amoris mei publica significatione. Per plures annos tam in Helmstadiensi Academia, quam in hac nostra Fridericiana, Medicinae operam dedisti, non tamen omissis Philosophicis, Physicis et Mathematicis doctrinis, Medico scitu maxime necessariis. Etiam meis Praelectionibus diligenter interfueristi, ita ut assiduitas TVA, et laudabilis diligentia publice utique iure meritoque praedicari possit. Tales quoque tamque egregios, in omnibus Medicinae partibus profectus acquisuisti, ut non sperem modo, sed et confidam, non parum TE olim in Artis nostrae salutaris emolumentum et honorem, aegrorumque salutem collaturum. Gratulor itaque TIBI amicissime SOHRBECK! tam doctrinam egregiam qua es instructus, quam Doctoralem dignitatem, iam TIBI conferendam. Viue diu et felix in Medicinae Artis commodum, et TVORVM gloriam et ornamentum. Et ex hac nostra Academia discedens, mei tamen semper memor sis, TVAMQUE amicitiam mibi conserua. Vale. Dab. in Reg. Frid.

d. 14. Oct. 1763.

M V T N A T

00 A 6328


ULB Halle
002 836 53X

3



Retro ✓





DISSE^RTAT^O IN AVGVRALIS MEDICA
DE
**AËRIS ACTIONE
IN CHYLV^M.**

QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA

DIE XV. OCTOBR. C^IC^IC^LX^{VIII}.

PRAESIDE
D. IO. PETRO EBERHARDO

MED. PROFESS. PVBL. ORDINARIO

ACAD. IMPER. NAT. CVRIOS. ET ELECT. MOGVNT. SCIENT. VTIL.
SODALI SOCIETAT. TEVT. IENENS. MEMB. HONOR.
FACVLT. MED. H. T. DECANO.

PRO
GRAD^V DOCTOR^IS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
LEGITIME IMPETRANDIS.

PVLICE DISPV^TANDAM PROPONIT

AVCTOR

FRIDERICVS SOHRBECK.
ELMSHORNIO - HOLSATVS.

HALAE MAGDEBURGICAE, LITTERIS BEYERIANIS.